C TEMPVS.

Tota æstate inuenitur locis iam monstratis.

TEMPERAMENTVM.

Recentiores frigidam & humidam esse, mea quidem sententia, falso statuũt: admodum enim adstringit, ut hoc nomine idem cum quercu in qua nascitur habeat temperamentum. Desiccat itaque & paulò infra media calefacit, in genere eorum quæ tepida sunt.

VIRES.

Desiccandi & adstringendi facultatem obtinet, quamobrem uulnera recentia glutinat, potissimum autem pulmonis. Ad incipientes quoque ac crescentes phlegmonas utilis: nam quæ iam uehementes sunt, adstringentia respuunt. Confert autem hauddubiè etiam ad muliebre profluuium, & sanguinis expuitiones, & diuturnos alui fluores.

DE PTARMICE. CAP. CCXLV.

NOMINA.

Sternutamentaria. Syluestre Pyrethrum.

ΠΤΑΡΜΙΚΗ Græcis, Sternutamentaria Latinis dici potest. Sunt qui syluestre Pyrethrum nominent, quod scilicet Pyrethri modo, quanquam mitius, linguam uellicet. Atque hinc est quod nonnulli pro uero Pyrethro, seducti eius titillante acrimonia, descripserint. Germanis wilder Bertram appellari potest. Ptarmice dicta est, quod flores eius naribus obiecti sternutamenta eliciunt.

Ptarmice cur dicta.

D FORMA.

Breuis frutex est, paruis, multis, teretibus, & Abrotono similibus ramulis, circa quos folia multa, oblonga, oleaginis similia. In summo Chamæmeli capitulũ, paruum, rotundum, olfactu acre, sternutamenta ciens, unde & nomen inuenit. Hactenus Dioscorides. Quod si itaq; naturam atque imaginem eius fruticis rectè expendas, undiquaq; ei plantæ cuius picturã damus, hæc descriptio quadrabit. Nam surculis fruticat exiguis, multis, rotundis, Abrotono non dissimilibus, lentè rufescentibus, qui foliis frequentibus, longiusculis, oleæ similibus, angustis, utrinq; leniter serratis ambiuntur, cacumine Anthemidis umbellam obtinente, quæ acri suo odore nares feriens sternutamentum irritat.

LOCVS.

Inuenitur sæpius in montibus altis & saxosis locis.

TEMPVS.

Floret æstate; radix eius extremo effoditur autumno.

TEMPERAMENTVM.

Eius temperies est calida & sicca, uiridis etiamnũ ordine secundo, siccatæ tertio.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Folia cum floribus illita sugillata emendare possunt. Flores sternutamenta efficacissimè mouent.

EX GALENO.

Ptarmices flores ciendæ sternutationis uim obtinent, unde & herbæ nomen. Sugillata & reliquas ecchymoseis discutit.

EX PAVLO.

Ptarmices folia sternutamenta mouent. Totus autem frutex uiridis sugillata, liuoresq; alios dissipat.

DE PYRE-



PTARMICE